

Pontifici Maximo acceptum referam.

Acceptum eidem & referunt universæ Orientalium populorum Ecclesiæ, quod illas vigilantissimus Pastor validis adjumentis fulcire, opibusque vallare, toto sui Pontificatus tempore, studuerit. Syri, inquam, Maronitæ, Jacobitæ, Chaldaeï, Græci, Armenii, Ægyptii, Æthiopes. Et Syrorum quidem Maronitarum duos Antiochenos Patriarchas, Gabrielem & Jacobum, idem CLEMENS Pallio Pontificio donavit, eorumque Legatos insolito honore & paterna benevolentia exceptos, cum donis Pontificiæ liberalitatis testibus in Syriam remisit. Jacobum itidem Patriarcham, missa in Phoeniciam legatione, propriæ Sedi, e qua per summam injuriam deturbatus fuerat, restituit, composita inter dissidentes pace. Domum insuper juxta Ecclesiam Sanctorum Marcellini & Petri, Monachis Maronitis Ordinis S. Antonii Abbatis attribuit, dotavitque. Syris Mesopotamia-